

Text 6: Heimat, dich und deine Götter rufe ich als Zeugen an (Sest. 43; 45-46 m. Ausl.)

Contenderem contra tribunum plebis privatus armis? Vicissent improbos boni, fortes inertis; interfectus esset is, qui hac una medicina sola potuit a rei publicae peste depelli. Quid deinde? Quis reliqua praestaret? Cui denique erat dubium, quin ille sanguis tribunicius, nullo praesertim publico
5 consilio profusus, consules ultores et defensores esset habiturus. (...) Si cum amentissimo tribuno plebis decertassem, cum consulibus ceterisque eius ultoribus dimicarem. (...) Unum autem mihi restabat illud, quod forsitan non nemo
10 vir fortis et acris animi magnique dixerit: „Restitisses, repugnasses, mortem pugnans oppetisses.“ De quo te, te, inquam, patria, testor et vos, penates patrique dei, mestrarum sedum templorumque causa, me propter salutem meorum civium, quae mihi semper fuit mea carior vita,
15 dimicationem caedemque fugisse. Etenim si mihi in aliqua nave cum meis amicis naviganti hoc, iudices, accidisset, ut multi ex multis locis praedones classibus eam navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedidissent; si id vectores negarent ac mecum simul interire quam me tradere hostibus mallent, iecissem ipse me potius in profundum, ut ceteros conservarem, quam illos mei tam cupidos non modo ad certam mortem, sed in magnum vitae discrimen adducerem. Cum vero in hanc rei publicae navem, ereptis senatui gubernaculis fluitantem in alto tempestati-
20 bus seditionum ac discordiarum, armatae tot classes, nisi ego essem unus deditus, incursum viderentur, cum proscriptio, caedes, direptio denuntiaretur, cum alii me suspicionem periculi sui non defenderent, alii vetere odio bonorum incitarentur, alii inviderent, alii obstare sibi me arbitrarentur,
25 alii ulcisci dolorem aliquem suum vellent, alii rem ipsam publicam atque hunc bonorum statum otiumque odissent et ob

hasce causas tot tamque varias me unum de-poscerent,
depugnarem potius quam id, quod omnibus im-pendebat, unus
pro omnibus susciperem ac subirem?